

claravit, ut unusquisque proprio muneri incumbant. n. 1896 die 8. Junii 1658.

Primicerio Cathedralis Fundanae assistentiam et solita obsequia Episcopo praestare renuenti, ex quo Apostolici Nuntii Commissarii Subcollectoris Officium gerat, S. C. resp.: exemptionem non suffragari quoad spiritualia et respicientia cultum divinum ac propterea Episcopus Primicerium ad onera sibi debita omnino subeunda auctoritate S. C. compellat. n. 1988 die 14. Junii 1659.

Vd.: *Subcollector.*

PRIMITIAE.

Vd.: *Missae prima novi Presbyteri; Missae tres novi Presbyteri.*

PRIOR.

1) Thurificatio.

Priores Terrae Pennae Asculanae dioecesis thurificandos esse post omnes de Clero. n. 802 die 17. Mart. 1629.

Vd.: *Incensatio Cleri.*

2) Usus Pontificalium.

Vd.: *Sedes; Usus Pontifical.; Diaconi assistentes pro Abbatib. et Dignitariis.*

Non debet facere ante se deferri crucem, vd.: Crux Archiepiscop.

PRIORISSA.

Vd.: *Abbatissa.*

PRIVILEGIUM.

1) Altaris.

Vd.: *Altare privil.; Indulg. altaris; de privil. alt. a SS. Pont. consecrati, vd.: Indulg. alt. (a SS. Pont. cons.)*

2) Communicatio.

Privileg. locale extendi non potest de loco ad locum.

S. R. C. 10. Jan. 1693.

Ad dubium 1.: An Patriarch. Basilicae aliaque Ecclesiae, necnon Nosocomia, Archiconfraternitates, Superiores cujuscunque Ord. sive Instituti, caeterique habentes facultatem communicandi privilegia, possint privil. et indulgentias ampliare et limitare pro suo arbitrio in aggregationibus?

2. : An aggregationes faciendae sint ad tempus vel perpetuo?

3. : An privil. altaris sit communicabile?

S. C. J. resp. *ad 1.:* Negative, nisi aliter in Indultis apost. provideatur;

ad 2.: Aggregationes faciendas esse in perpetuum;

ad 3.: Negative.

Die 5. Febr. 1748.

Vd.: *Decr. Urbani VIII.* de die 28. Mart. 1634 in Bull. magno tom. V. p. 255 (Ed. *Luxemb.* 1727).

3) Octavae.

Vd.: *Octava privil.; Octava Corp. Chr.*

4) Personale in die Com. Om. fid. def.

Vd.: *Indulg. alt. (Eccles. par. etc.); Indulg. alt. (pers. Privil.)*

PROCESSIO.

1) Abusus.

Abusus antiqui in processibus tollendi sunt cum magna cautela, ne majora scandala sequantur.

S. C. R. 13. Maii 1603.

2) Canonici Cath. parati.

Cf.: *Canonici parati; Coena Dom. (praeced. etc.); Processio (Clerus inf. paratus, decr. n. 4595, 5136); Instructio Clem. §. XXI. n. 8.*

Canonicos et Dignitates vestes sacras, Episcopo deferente et non deferente SS. Sacramentum, induere debere in honorem tanti Sacramenti. n. 735 die 27. Mart. 1628.

Canonicos Cathedr. semper intervenire debere vestibus sacris in processione solemnitate Corporis Christi, sive Episcopus interveniat sive non, et inobedientes potuisse et debuisse per Episcopum mulctari. n. 1000 die 15. Julii 1634.

Soli Capitulo Cathedrali licere incedere in processibus cum vestibus sacris et non aliis ecclesiarum Collegiarum. n. 1320 die 20. Apr. 1641.

Non albam sed tantum superpelliceum adhibendum est in processibus, quando induuntur planetae, dalmaticae et tunicellae, juxta Caerem. (Lib. I. c. XV. n. 6.; lib. II. c. XXXIII. n. 5.) n. 2869 ad 9 die 26. Nov. 1678.

Canonici Cathedralis, etiam absente Episcopo a processione SS. Corporis Christi, deferente SS. Decano vel Canonico, sacris vestibus induti interesse et Caeremoniale lib. II. c. XXXIII. servare debent. n. 1831 die 30. Junii 1657; n. 3888 die 12. Sept. 1716.

Ad conquestionem, quod Episcopus Theles. praecepisset, ut Canonici Cathedralis in processibus tum ordinariis tum extraordinariis pluvialia deferant, S. C. resp.: „*Servari Caerem.*“ n. 2120 ad 1 die 2. Julii 1661.

Vestimenta sacra non posse deferri a Capellanis Collegiatae Matricis Itri, nisi deferant etiam Canonici. n. 2516 ad 4 die 13. Sept. 1670.

Capitulo, Dignitatibus et Canonici Cathedralis Viterbien. competit jus incedendi in processione SS. Corporis Chr. cum s. paramentis privative quoad Canonicos Collegiarum, Rectores parochialium aliosque presbyteros. n. 3966 die 16. Febr. 1726.

3) Can. Colleg. par.

Vd.: *Synodus (Clerus par.); Process. (Can. Cath.)*

In processibus sine SS. Sacramento Dignitates Collegiarum in-

dere debere cum suis Capitulis sine pluvialibus. n. 719 die 29. Jan. 1628.

Non convenire, ut Canonici Collegiatae in processibus (de processione Litan. maj. in hoc decreto agitur) incedant parati, prout incedant Canonici Cathedr. n. 351 ad 20 die 19. Maii 1607.

Canonicos Ecclesiarum Collegiarum in concursu cum Capitulo Cathedrali non debere incedere in processibus cum vestibus sacris, sicut incedunt Canonici Cathedralis. n. 1231 die 2. Julii 1640.

Non licet Canonici Collegiarum in processibus SS. Sacramenti incedere cum vestibus sacris, prout incedunt Canonici Cathedralis. n. 1232 die 2. Julii 1640.

Ad dubium: an in processibus pro Synodo dioecesana habendis Canonici Colleg. Constantii incedere possint sacerdotali planeta induti ad instar Canonico. Cathedr. ipsius civitatis vel potius debeant interesse superpelliceo et almutio tantum induti, ut distinguantur a praefatis Canonici Cathedrali?

S. C. resp.: Non convenire, ut Canonici Colleg. in processibus incedant parati, prout incedunt Canonici Cathedralis. n. 3270 die 26. Aprilis 1692.

Ad dubium in causa praeeminentiae inter Capitulum Cath. et Colleg. Foggiae: an in processibus solemn. Foggiae possint Canonici Colleg. parati incedere sive praesente sive absente Episcopo?

S. C. resp.: *Posse in process. solemnitate SS. Corp. Chr.* n. 3563 ad 2 die 22. Maii 1700.

Canonici Colleg. Urbis veteris in peculiari processione, quam sine interventu Canonico. Cathedrali infra octavam ss. Corp. Chr. peragunt, possunt incedere cum planetis. n. 3688 die 26. Apr. 1704.

veluti si essent Canonici, possint supra rocchettum assumere planetam et tunicellam?

Et Emi et Rmi PP. . . . rescribendum censuerunt: „Affirmative si rocchetti usum habeant, et nullus alius Clerus dignior ad processionem accedat.“

N. 5167 ad 1 die 10. Jan. 1852.

Dum Rmus Syracusan. Archiep. perpexit usum inter Clerum sibi commissum vigentem, videlicet accedendi ad solemnem supplicationem Corporis Chr. cum s. vestibus, nimirum *casula, stola et manipulo*, illico deprehendit id omnino adversari eccles. sanctionibus ac Caeremoniali Episcoporum. Verum ad evitandas contraversias maluit S. hanc C. R. humillimis adire precibus enixeque rogare, ut declarare dignaretur: num in pervetusta ac pene immemorabili exposita consuetudine Clerum ipsum relinquere possit vel potius eundem adigere debeat ad assumendam casulam tantum absque stola et manipulo?

Et S. ipsa C. ad Quirinale in hodierno ordinario coetu coadunata, post auditam a Secretario fidelem relationem et diligens super expositis institutum examen, rescribendum censuit: „Quoad usum stolae in casu relinqui posse arbitrio ex consuetudine, albam permittendam Beneficiatis, non Canonicis, qui uti debent rocchetto et casula, manipulum vero omnino inhibendum juxta rubricas.“

Atque ita rescripsit. n. 5136 die 22. Jul. 1848.

10) Clerus parat. quo loco incedit?

Episcopus locum assignet Seminario et reliquis Clero Cathedralis Ecclesiae sine paramentis praecedentibus ante omnes, qui sacris paramentis induti sunt. n. 2094 die 15. Jan. 1661.

11) Clerus regular. quo ord. incedit inter sese?

Vd.: *Processio* (Clerus saecul.).

Fratres Dominicani, Franciscani etc. in processionibus procedant, ut Ordines ipsi inter se minime confundantur, sed unus ab alio separatus et singulorum ordinum fratres bini cum omni decencia . . . incedant. De praecedentia observanda fel. rec. Gregorii XIII. Constitutio, edita 15. Jul. 1583, quae incipit: *Exposcit videlicet*, ut ii praecedant, qui alias in quasi possessione seu jure praecedentiae illic fuerint; si vero non constet de hac quasi possessione, tunc ii praecedant, qui antiquiores illo in loco sunt. n. 54 die 5. Julii 1593.

Praecedentiam debere fratribus Coelestinis tanquam antiquioribus Mantuae ad formam Constitutionis Gregorii XIII., non obstante allegata per Camaldulenses (sed non bene probata) possessione praecedendi. n. 2388 die 15. Jan. 1667. Piores in loco debent praecedere. n. 193 die 23. Maii 1603.

Praecedentiam dandam esse secundum usum universalem, ut scilicet Religiones minus dignae praecedant et digniores postea subsequantur. n. 219 die 15. Nov. 1603.

Orta controversia inter Fratres Conventuales s. Francisci et Fratres Observantes ejusdem Ordinis S. R. C. resp.: Servandam esse Bullam Gregorii PP. XIII., ut illi praecedant, qui prius habuerunt locum seu Conventum in dicta civitate Tuscanellae. n. 381 die 14. Jun. 1608; n. 484 die 1. Mart. 1614.

Constitutionem *Gregorianam* ubique terrarum servandam esse, non obstantibus Brevibus S. M. Urbani VIII. de die 9. Jan. 1630*), 10. Junii 1643

*) Vd. Bullar. magn. rom. t. V. p. 193, ubi est decr. Urbani VIII. (ed. Luxemb. 1727).

et 20. Apr. 1644. n. 1575 die 15. Dec. 1646.

Praecedentiam competere Capuccinis uti antiquioribus in loco Rossanen. n. 1997 die 19. Julii 1659.

Posse fratres Capuccinos in civitate Salernitana portare propriam Crucem in publicis processionibus et sub ea incedere, dummodo incedant in primo et novissimo loco inter Religiosos et Regulares, qui hodie in ea civitate habent locum seu Monasterium et in ea faciunt residentiam. n. 522 die 30. Apr. 1616.

Praecedentiam dandam esse Ordini, qui prius in loco Monasterium habuit, et non tantum illi Monasterio, ita ut per foundationem primi Monasterii in illo loco acquiratur anterioritas cuilibet Monasterio posterius fundato ejusdem Ordinis; idem quoque servandum, quando Praecedentia competit ex quasi possessione et jure procedendi in terminis Constitutionis Greg. XIII., quae incipit: *Exposcit Pastoralis etc.*, et quando concurrunt ad processiones publicas et privatas, omnes ejusdem Ordinis fratres unitim et non divisim debere procedere, ita ut post Crucem fratres strictioris observantiae immediate incedant discalceati seu recolleti vel reformati dicti, si juxta regularia Ordinis statuta vel ex quasi possessione et jure praecedendi Praecedentiam habent; alioquin in Praecedentia servetur et inter ejusdem Ordinis fratres anterioritas foundationis Monasterii cujusque, neque Monasteria alterius Ordinis debere neque posse impedire frui dicto jure Praecedentiae, neque ordinem incedendi pervertere. n. 542 die 3. Junii 1617.

SS. CC. Rit., Ep. et Reg. decreverunt, constit. Gregorian. et Breve Urbani VIII. in dicto Bullario p. 301. t. V. contentum esse servand.

Praelationem non ab antiquitate erectionis conventus, sed ab incolatu familiae cujusunque Ordinis desumendam esse et propterea in civitate Sucerin. fratribus Minor. Observ. uti antiquioribus in loco controversiae Praecedentiam super Reformatos Luceriae deberi. n. 1894 die 8. Junii 1658.

Attendendum esse jus commune, quod Monachis semper et ubique supra Mendicantes tribuit praecedentiam. n. 571 die 23. Martii 1619.

Praecedentiam semper dandam esse fratribus Minor. Observ. Reformatorum ante alios Regulares civitatis Salernitanae, sive dicti fratres soli per se et sub propria Cruce Minorum Observ. processionaliter sive in funeribus incedant, et ita servari ubique. n. 838 die 10. Decbr. 1629.

Praecedentiam in concursu cum aliis Regularibus in processionibus et aliis actibus publicis semper competere dictis fratribus discalceatis Ord. Minor. s. Francisci, sive soli per se et sub propria Cruce sive cum Cruce et familia de Observantia incedant et sive Discalceati, Reformati aut alio quovis nomine nuncupentur, dummodo sint dicti Reformati Ordinis s. Francisci, necnon frui et gaudere debere omnibus aliis praerogativis in Bulla Clementis VIII. *) expressis et ita in posterum ubique servari. n. 841 die 22. Decbr. 1629. **)

Ordinarium componere debere lites Praecedentiae inter Regulares omni appellatione remota ad tenorem Conc. Trid. sess. 25. de Regul. et Monial. c. 3. Ideoque posse etiam poenis et

*) Hanc Bullam vd. in Bull. r. t. III. p. 17, 81.

**) Hoc decretum confirmatum est ab Urbano PP. VIII. per Breve de die 9. Jan. 1630. (Vd. Bullar. magn. rom. tom. V. p. 193. Luxemb. 1727.)

censuris ecclesiasticis ad executionem decretorum super his editorum Regularum compellere. n. 3331 ad 6 die 15. Maii 1694.

Si PP. Congregationis Oratorii s. Philippi Neri Mechoacanen. interveniunt supplicationibus, debent praecedere Regularibus. n. 4347 ad 3 die 21. Jan. 1796.

Ad dubium I.: An in processionibus tam ordinariis quam extraordinariis praecedere debeant Fratres Minor. Observantes seu potius Fratres Minor. Conventuales in casu etc.?

Ad dubium II.: An in processionibus aliisque functionibus, quoties Fratres Minores de Observantia non accedunt, praecedere debeant Minores Reformati seu potius Conventuales in casu etc.?

Ad dubium III.: An in processionibus, quoties Capuccini soli sub propria Cruce accedunt absque interventu Patrum Conventualium, praecedere debeant iidem Capuccini seu potius Fratres tertii Ordinis s. Francisci in casu etc.?

Et Emi et Rmi PP. . . . rescribendum censuerunt

Ad dubium I.: „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.“

Ad dubium II.: „Dilata, et scribat alter Magister Caeremoniarum.“

Ad dubium III.: „Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.“

N. 5222 die 16. Febr. 1856. (Vd. infra decr. n. 5229.)

De Observantia et Capuccinorum.

Praecedentiae jus publicis in supplicationibus licet saepe apostolicis temperatum Constitutionibus et crebris S. R. Decretis praefinitum, sicuti semper uberem controversiis suppeditavit, sic novam in praesentiarum praebet

disceptandi materiam Fratribus Ordinis Min. s. Franc. Capuc., degentibus in Pago Rutiliani Conversanensis diocesis et Fratribus Min. de Observantia duobus passuum millibus inde dissitis, Capuccini jus praecedendi sibi asserunt tum quod antiquiores ibi sint coenobii fundatione, tum quod publicis in supplicationibus, ad quas tenentur accedere, semper obtinuerint priorem a Capitulo locum. Observantes autem lege ob distantiam non adstricti intervenire; quando vero illis supplicationibus se jungere velint, sicut accidit piaculari anno 1843, idem jus sibi vindicant, tum quod absonum videatur filialem Ordinem anteire illum, a quo originem duxit, tum quod dignior locus Capuccinis assignatus, dum Observantes aberant, nullam ipsorum juri noxam valeat irrogare. Controversia isthaec ad episcopalem Curiam primitus ventilata, quum per Decretum emissum jus fuerit Observantibus attributum, ab hac sententia appellationem ad SS. Capuccini interposuere, datisque precibus penes S. R. C., citata dein parte coram R. P. D. ejusdem a Secretis, sequens fuit Dubium per deputatos Defensores concordatum: *An et cui competat Praecedentia in supplicationibus et in casu praesenti?* Proposito propterea eodem Dubio in Ordinariis S. R. Comitibus ad Quirinales Aedes subscripta die ab Emo et Rmo Dom. Card. Carolo Acton Relatore designato, S. Congreg. visis matureque libratis juribus hinc inde deductis, utraque parte plenius informante ac respondente omnibusque videndis rite consideratis rescribendum censuit: „Praecedentiam in casu competere Fratribus Ord. Min. s. Franc. de Observantia.“

Atque ita decrevit ac servari mandavit. n. 5062 die 27. Febr. 1847.

Quum S. R. C. in Ordinario Coetu ad Vaticanum habito XIV. Kal. Martii

vertentis anni in causa *Assisien. Declarationis dubiorum* proposita ab Emo et Rmo D. Cardinali Ludovico Altieri Ponente supersederit a iudicio suo ferendo super sequenti dubio, quod in Positione illa num. 2. distinctum erat, nimirum: „An in processionibus aliisque functionibus, quoties Fratres Minores de Observantia non accedunt, praecedere debeant Minores Reformati seu potius Conventuales in casu etc.“ rescriptumque prodierit „Dilata, et scribat alter Magister Caeremoniarum:“ ad mentem S. C. delectus alter ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris Votum suum confecit typisque mandavit.

In novis itaque S. R. C. Comitibus hodierna die ad Vaticanum pariter coadunatis per eundem Emum et Rmum Dom. Card. Altieri Relatorem iterum proposita causa: S. eadem C. omnibus accurate perpensis rescribere rata est: „Juxta Votum Magistri Caeremoniarum, id est, Reformatos, licet soli et sub propria Cruce supplicationibus aliisque publicis functionibus accedant, eadem frui debere Praecedentia, quae Observantibus competit.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 24. Maii 1856.

Super quibus facta postmodum per subscriptum Secretarium SSmo D. N. Pio PP. IX. relatione, S. S. Rescriptum S. C. ratum habuit et confirmavit mandavitque ut super dubiis omnibus in hac causa a S. C. definitis tum 14. Kal. Martii vertentis anni tum 9. Kal. Junii anno eodem pro diversis s. Francisci familiis Assisii commorantibus expediantur literae apostolicae in forma Brevis. n. 5229 die 29. iisdem mense et anno. *Vd. supra decr. n. 5222.*

Gregorius PP. XIII.

Exposcit pastoralis Officii munus, ut ad ea sollicite intendamus, per quae

discordiarum et litium materia tollatur . . .

Apost. auctoritate decernimus, quod, quicumque ex fr. Mendicantibus inter se de praecedentia contententibus aut Confratribus Confraternitatum, inter quos lites et causae de praecedentia ortae jam sint seu oriri contigerit in futurum, qui in quasipossessione praecedentiae ac juris praecedendi sunt, ii (quibuscumque reclamationibus, protestationibus, appellationibus et aliis subterfugiis remotis et cessantibus et postpositis) in processionibus tam publicis quam privatis praecedere debeant. Quando vero non probetur aut non constet de quasipossessione hujusmodi praecedentiae, inter FF. quidem Mendicantes ii, qui antiquiores in loco controversiae, inter Confratres vero inter se litigantes ii, qui prius saccis usi sunt, in processionibus tam publicis quam privatis praecedere debeant, ita ut si contigerit nova monasteria aut domus alicujus Ord. Mend. in loco, in quo alterius Ord. ex dictis Mendicantibus monasteria aut domus prius erecta et instituta sint, ille Ordo, qui prius monasterium aut domum in loco habuerit, praecedat.

Praeterea, quia inter praedictos Ordines plerumque alia in processionibus et alia in Conciliis general. et aliis actibus publ. sive privatis ratio circa modum praecedendi servatur, volumus per praesentes praerogativis dictorum Ordinum quoad praecedentias hujusmodi, quae propriis Ordinibus praeterquam in process. praedictis debentur, aut FF. Capuccinis nuncupatis, qui in process. publicis sub Conventualium s. Francisci aut Minorum de Observantia Fratrum nuncupatorum Cruce, ut solent, incedere possint, aliquod praejudicium generari.

Sicque per quoscunque Judices et Commissarios, etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet

4) Capite tecto vel detecto.

Vd.: *Reliquiae* (processio); *Caput*; *Mitra Canoniorum in process.*; *Instructio Clem.* §. XX. n. 12.; §. XXI. n. 11.; *Pileolum*; *Biretum*.

Regulares s. Francisci Vianae tenentur in publicis processionibus extra Ecclesiam incedere capite cooperto, dummodo non deferatur SS. Sacramentum. n. 2273 ad 4 die 24. Maii 1664.

Nec non licere Canonicis Cathedr. Castellanae et toto Clero et multo magis Episcopo procedere in processionibus extra Ecclesiam capite cooperto. In processione autem SS. Corp. Chr. nulli ex Clero licere procedere cooperto capite. n. 2404 die 2. Apr. 1667.

In processionibus, in quibus deferatur SS. Corp. Chr. vel SS. Crucis lignum, tam Clerus quam Saeculares detecto capite incedere debeant. In aliis vero processionibus, in quibus deferuntur reliquiae vel statuae SS., tunc Saeculares et Ecclesiastici, qui eas deferunt, detecto capite; alii vero clerici possint incedere tecto capite cum bireto. n. 3230 ad 1 die 2. Sept. 1690.

Ad dubium 1.: An magistratui in processionibus, in quibus non gestantur reliquiae insignes, incedere liceat capite cooperto ad instar cleri?

Ad dubium 2.: An eidem magistratui baldachini hastas deferenti in processionibus, in quibus reliquiae non portantur, sed aliqua statua vel figura alicujus sancti, liceat cooperire caput, quatenus presbyteri sub eodem baldachino incedentes caput cooperiant?

S. C. resp. ad 1.: Affirmative;

ad 2.: Negative tam quoad magistratum quam quoad ecclesiasticos sub baldachino incedentes.

Die 2. Sept. 1690 ad 2 et 3.

5) Capituli.

Licere Capitulo et Decano Cathedr. processiones facere per omnes vias,

etiam absente Episcopo, nulla habita neque petita licentia Superiorum ecclesiarum... n. 1154 die 23. Maii 1639.

Ad dubium: an in processionibus extraordinariis, quae ex devotione Capituli peraguntur, prima Dignitas an hebdomadarius induendus sit pluviali et ad quem ipsorum dictis diebus spectet Missas celebrare?

S. C. resp.: Servandam esse consuetudinem. n. 1977 ad 2 die 29. Mart. 1659.

Canonici Cathedr. Theles., translati in Ecclesiam s. Jacobi de Cerrelo, possunt in eodem Oppido facere processiones quocumque anni tempore, etiam infra octavam Corp. Chr., invito parcho sed obtenta licentia Episcopi et invitatis Canonicis. n. 2970 ad 2 die 22. Nov. 1681.

Vd.: *Processio* (licentia).

6) Per Civitatem.

Vd.: *Confraternit.* (processio); *Processio int. vel extra claustr.*; *Process.* (licentia etc.); *Processio* (confraternit.).

Ad dubium: An liceat PP. Conventus s. Dominici Ripanae sine licentia Episcopi peragere per civitatem processionem tam in I. dominica Octobris (in festo ss. Rosarii) quam in aliis temporibus?

S. C. C. resp.: Negative exceptis processionibus ss. Corp. Chr. et ss. Rosarii in I. dom. Octobris.

Die 16. et 30. Mart. 1715.

7) Intra vel extra Claustra.

Cf.: *Processio Regularium* (decr. 723; 816; 839; 873; 904; 1421; 3626; 3843); *Mulier* (Ingress. — decr. Pii VII.); *Process. in Monial. eccles. etc.*

Non licere regularibus extra claustra monasteriorum vel proprias Ecclesias et non nisi prope ambitum eorumdem habere processiones, nisi

de licentia ordinarii aut de consensu vel cum Cruce parochiali. n. 1446 die 18. Apr. 1643; n. 1084 die 24. Julii 1638; n. 2836 ad 2 die 20. Nov. 1677.

Non licere Fratribus et Regularibus extra claustra monasteriorum suorum facere processiones. n. 487 die 19. Maii 1614.

In Ecclesiis habentibus claustrum processiones fieri non possunt, nisi intra claustra tantum et non extra. n. 1636 die 20. Apr. 1652.

In processione *infra octavam Corp. Chr.* fieri consueta Regularibus non posse prohiberi, ne extra claustra eorum monasterii ducant processiones. n. 1929 die 7. Sept. 1658.

Confraternitatibus Laicorum et Regularium insularum Canariensium non licere facere processiones extra claustra eorum ecclesiarum dicta claustra habentium; et si non habeant, extra limites et ambitum illorum, hoc est prope muros nisi de licentia, consensu et cum cruce parochi exceptis tamen Ecclesiis, quae habent in hoc speciale privilegium. n. 2265 die 15. Mart. 1664; n. 2278 die 12. Julii 1664.

Non licuisse neque licere Regularibus, ut in processionibus SS. Corp. Chr. et Rosarii et aliis per ipsos fieri solitis mulieres ingrediantur in eorum claustra, nisi adsit expressa licentia Sedis apost. n. 2784 die 13. Junii 1676.

Ad dubium: An Regulares in processionibus possunt admittere foeminas sine expressa licentia Sedis apost., cum in claustris non celebrentur Missae, nec alia divina Officia peragantur nec mortui sepeliantur?

S. C. resp.: Negative.

N. 2836 ad 3 die 20. Nov. 1677.

Non licet PP. Dominicanis, August., Francisc., Conventualibus, Minimis et Regularibus litis consortibus facere solitas processiones... sine licentia

et cruce parochi per civitatem Savonae extra ambitum Ecclesiae et claustrum. n. 3223 ad 1 die 10. Junii 1690.

Non licet PP. Minoribus Convent. Montis novi facere processionem extra claustra eorum conventus et per limites parochiae absque licentia, consensu et cruce ejusdem parochialis, exceptis processionibus primi Veneris Martii, nuncup. *Corda Pia*, 13. Junii s. Antonii, prima Augusti de Portiuncula et 4. Oct. s. Francisci, in quibus servetur solitum. n. 3722 ad 2 die 9. Maii 1705.

Obtenta licentia Archiepiscopi peragendi processionem ss. Rosarii extra claustra prima dominica Octobris, non tenetur Confraternitas Aquaevivae obtinere alteram parochi. n. 3769 die 14. Maii 1707.

DECRETUM GENERALE.

Regularibus et Confratribus in Ecclesiis Regular. esse permissum intra eorum Ecclesias et claustra tantum processiones facere et non extra; si vero Ecclesiae claustrum careant, eisdem Regularibus et Confraternitatibus licere processiones facere intra ambitum dumtaxat earundem ecclesiarum, hoc est prope muros Ecclesiae sive exeundo a janua Ecclesiae et intrando per aliam sive per eandem januam et semper prope muros Ecclesiae et non extra dictum ambitum nisi de licentia et consensu Ordinarii aut cum cruce parochi: Privilegiis pariter apost. contrarium disponentibus, quibus per hoc decretum minime conseatur derogatum.

Die 21. Aug. (27. Julii) 1628.

Ad dubium 1.: An PP. Carmelitis Aquen. liceat processiones facere extra propria claustra seu districtum et intra limites parochiae invito parcho? Et quatenus negative,

2.: an PP. dictis liceat extra propria claustra per loca consueta facere

processiones B. V. M. de Monte Carmelo occasione festivitatis petita tamen licentia parochi licet non obtenta?

S. C. C. resp. *ad 1.*: Negative;
ad 2.: Affirmative.

Die 9. Junii 1708 et 27. Apr. 1709
ad 16 et 17.

Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissa seu superiorissa ac moniales monasterii sub titulo Corporis Christi ordinis s. Clarae istius civitatis Foroliviensis, quod alias ab apostolica Sede privilegium ac indultum impetrarunt, ut die solemni Corporis Christi venerabile Eucharistiae Sacramentum intra claustra tantum processionaliter gestare posse ac subinde, quo in supplicatione hujusmodi magis magisque decori tantae festivitatis consulere, a Nobis per organum congregationis VV. FFr. N. S. R. E. Cardinalium Episcoporum et Regularium negotiis praepositorum obtinuerunt, ut praeter Sacerdotem in pluviali, etiam ministri scilicet Diaconus et Subdiaconus dalmatica et tunicella respective induti eidem supplicationi interesse ac ministrare possent. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ad triennium tantum indultum hujusmodi a dicta congregatione obtinuerint, licet illud postmodum ad alia triennia fuerit prorogatum, nihilominus, quo eorum majori supplicationis hujusmodi solemnitati prospiciatur, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsas exponentes specialibus favoribus et gratis prosequi volentes supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus narratis eis-

dem exponentibus petitam facultatem, servata in reliquis priorum concessionum forma in perpetuum auctoritate Nostra a apostolica concedas ac impertiaris.

Datum Romae die 23. Maii 1794.

(Bull. r. Continuat. t. IX. p. 369.)

Regulares, qui gaudent speciali privilegio faciendi processiones extra claustra sine ulla licentia, tenentur incedere per viam semel electam. S. C. R. in Pisaur. 3. Nov. 1613, in Materan. 15. Maii 1632, in Belcastren. 28. Apr. 1690.

8) Clerus post Laicos.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XX. n. 10, 16, 17; §. XXII. n. 2; *Confratern.* (praeced.; processio).

9) Clerus inferior paratus.

Cf.: *Planeta in processioibus.*

Ad petitionem Capituli Cathedr. Militen. pro declaratione: non licere parochis et sacerdotibus Ecclesiae SS. Trinitatis et aliis Dioecesis Militensis incedere in processioibus cum pluvialibus, non obstante contraria consuetudine: S. C. resp.: In concursu cum Capitulo Cathedr. non licere. n. 3112 die 4. Maii 1686.

Beneficiati Ecclesiae Cathedr. Gerundae incedere debent in processioibus induti pluvialibus sicut Dignitates et Canonici, attenta immemorabili. n. 3694 ad 1 die 12. Julii 1704.

Sacerdos, Diaconi et Subdiaconi in processione, quae peragitur in die dominica infra octavam solemnitatis Corp. Chr. intra limites parochiae s. Felicis Universitatis Paganorum, possunt induere super albas casulas, resp. dalmaticas et tunicellas. n. 4113 ad 1 die 20. Maii 1741.

PP. Carmelitae Imolae induere possunt s. vestes ad formam eorum Ritualis in processione facienda extra

claustra et ambitum Ecclesiae infra octavam Corp. Chr., exceptis fratribus laicis. n. 4158 ad 1 die 16. Maii 1744.

Ad dubium: an parochi Amerinae teneantur incedere in processione Corp. Chr. aliisque processioibus, quatenus interveniant vestibus s. induti prout alii Sacerdotes, sive potius possint incedere cum cotta, stola et in quo loco?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem; ad secundam juxta solitum. n. 4315 ad 8 die 7. Maii 1763.

Mos est in Cathedr. Melphiten., ut etiam Participantes in sol. process. Corp. Chr. et in octava incedant cum planeta super albam seu camicem. Quaeritur: An vigore Indulti possint ab observantia recedere, incedendo cum planeta non amplius super albam, prout gerunt, sed super rocchetto ad instar Canonicorum vel cum cappa et rocchetto?

S. C. resp.: Negative in omnibus. n. 4595 ad 6 die 12. (10.) Apr. 1823.

NOTA GARDELL. AD HOC DECETUM:

Consuetudinibus, quae vere sint laudabiles et rationabiles, derogatum non fuisse per Caeremoniale Episcoporum S. R. C. declaravit pluribus decretis, praesertim vero illis, quae in nostra collectione leguntur. Ideo etsi *lib. 2. cap. 33.* ejusdem Caeremonialis regula tradatur, quae jubet, ut in solemni Processione SS. Corporis Christi Canonici parati incedant sacris indumentis albis et servata ordinum distinctione, quemadmodum solent parari, Episcopo solemniter celebrante, non est tamen haec lex ex illis, quae praescriptionem non admittunt et quamlibet respuunt consuetudinem etiam immemorabilem. Non enim Dignitatibus atque Canonicis ita sacra Indumenta conveniunt, ut nequeant alicubi vel ex consuetudine vel ex peculiari

statuto vel ex privilegio ab aliis inferioris gradus, sed Ecclesiae servitio addictis, assumi. Ideo consuetudo, quae obtinuit in Ecclesia Cathedrali Melphitensi, ut in eadem Processione parati incedant etiam Portionarii, retinenda est, utpote quae non minuit sed auget divinum cultum, sacra illi actioni decus addit et ornamentum. Verumtamen debitus servandus est modus tam quoad ordinem incedendi quam quoad extrinsecam decorationem. Siquidem Portionarii confundi non debent cum Canonicis, nec ab antiquo more recedere, etsi modo eorumdem coetus nobiliora Insignia apostolica auctoritate obtinuerit. Quae supra notata sunt, plane evincunt per eadem nobiliora Insignia eorumdem qualitatem non fuisse immutatam, sed adhuc secundi ordinis Clerum eosdem constituere, idemque Ecclesiae praestare debere servitium ac eadem obsequia, quae consueverant, antequam nobilioribus decorarentur Insigniis. Atqui usque adhuc in illa solemni supplicatione casulam gestarunt supra albam, quam Camicem dicunt, haud licet nunc antiquum deserere morem et albae substituere rocchetto, quod indumenti genus ex novo privilegio deferendum ab ipsis dumtaxat est sub cappa seu mozzetta. Portionarii quippe distinguendi sunt a Canonicis, quibus datum est sacra Indumenta vel in processione SS. Corporis Christi vel in assistentiis Episcopo pontificaliter celebranti rocchetto superimponere.

Jure igitur a S. C. responsum fuit: *Negative*, videlicet, quod, licet Portionarii in solemni processione SS. Corporis Christi servare possint consuetudinem incedendi cum casula, debent tamen subtus albam adhibere non autem rocchetto, ut a Canonicis distinguantur.

Ad dubium: An Capellani seu simpliciter participantes in processioibus,